

Navarrus *manual. cap. 17. num. 289. usque ad 295.* Joannes Medina de *cambiiis quest. 4. & Molina de contractibus tract. 2. disp. 404.* Necessè tamen est, ut in cambio locali vera fiat pecunie translatio, aut saltem, ut qui pecuniam accipit, serium habeat animum illam alibi restituendi; si enim sciret, eo ipso in loco, ubi accepta est, fore restituendam; quamvis cambii litteræ aliò directæ fingerentur sub cambii specie, vera lateret usura, quæ hominum quidem iudicium effugere, Deum autem eludere non posset. Et de hoc cambio, quod *factum*, & *sticum* appellant, ea sunt intelligenda, quæ adversus cambia statuit clar. mem. Cardinalis Lanfredinus in sua Diccesana Synodo Cingulana, habita die 6. Augusti 1736. *cap. 14.*

VIII. Hæc manifesta sunt, & vix ulli obnoxia difficultati. Alia captiosa adinventæ est species cambii, quod vocant *obliquum*. Titius indigens mille aureis, mutuos eos petit à Cajo, qui cum consueverit negotiari, & negotiatione pecuniam suam augere, renuit indulgere petitioni Titii, à quo, ratione mutui, nihil potest exigere; quia, verò Titius Cajum urgere non cessat, res inter eos in hunc modum componitur: Titius mutuos accipit à Cajo prædictos mille aureos, neque, mutui causa, quidquam se Cajo, ultra sortem, soluturum promittit; ut tamen Cajo damnum rependat, quod ex dato mutuo subit, dat ei facultatem, æquivalentem pecunie summam, sive à semetipso, sive ab alio per cambii contractum accipiendi; eamque ad negotiationem destinandi, simulque Titius se obligat ad solvendum Cajo, donec ei mutuum restituat, quidquid ratione cambii impendit, aut impendere deberet, si prædictos mille aureos à campore accepisset. Quandoque etiam

ipsemet Titius mutuatarius assumit sibi onus, cambiis negotiandi. tantam pecuniam summam, quantum mutuum accipit à Cajo, in commodum tamen, & utilitatem ejusdem Caji, cui quotannis solvit quantum ex cambiis lucratur, aut lucrari posset, donec ei mutuum restituat. Si primo modo res peragatur, pertinet ad Cajum mutuantem probare, cambii litteras reverà à se transmissas, seu mille aureos se fuisse per cambium ab alio consecutum. Sed si Titius mutuatarius onus in se suscipit, summam ei æquivalentem, quam à Cajo mutuaui accipit, cambiis activis negotiandi; tunc aut stetit promissis, aut non; si primum, Cajo creditor justè percipit fructus, seu pecunie accessiones à cambiis productas; si secundum, quamvis tunc nihil ex cambiis consequatur, eosdem tamen fructus à Titio requirit, titulo *ejus quod interest*, seu damni, quod subit ex eo, quod Titius susceptæ obligationi non satisfecerit, juxta decisionem 829. Romanæ Rotæ *cor. am. Dunozeito jur.* Et quia hic posterior modus securiorem reddit mutuantem, cui duplicem aperit viam ad consequendum auctarium mutuatæ pecunie, hæc de causa frequentius adhibetur.

IX. Præmissa hæc cambii obliqui notione, quam præbet Cardinalis de Luca *lib. 5. tit. de cambiis in Summ. part. 2. n. 16.* facile est suspicari prædictas involutas ambages, esse unice excogitatas ad palliandam usuram, quæ nihilominus non satis occultatur, & magis adhuc aperte se prodit, cum contractus secundo ex recensitis modis inicit; quid enim absurdius, quid incredibilius fingi potest, quam quod Titius indigens mille aureis, quos mutuos accipit à Cajo, totidem statim habeat paratos ad nundinas transmittendos, atque in activa cambia erogan-

gandos, in mutuantis Caji utilitate? Et nihilominus non desunt Auctores, qui pro ejusmodi cambiorum tuenda justitia decertant, inter quos Cardinalis de Luca de *cambiis dissert. 7. n. 5. disc. 3. n. 8. disc. 27. n. 9.* Ansaldo de *commerc. & mercat. disc. n. 46. & seq.* Rota Bononiensis apud Urculeum de *transact. q. 40. à n. 23. usque ad fin.* & Rota Romana *decis. 1. lib. 8. ad ornat. Card. de Luc. & decis. 303. & 695. cor. Molines.*

X. Verùm quidquid sit de foro externo, in quo fortassè ita res gesta præsumitur, sicut in contractus stipulatione describitur; in foro tamen interno, ubi sola spectatur veritas, si pecunia accepto mutuo respondens, neque à mutuantem, neque à mutuatario, juxta prædictas diversas pactiones, fuerit ad nundinas transmissa, seu in cambia activa erogata, nec unquam in alterius animo fuit eam ad nundinas transmittere, seu in cambia erogare, minime dubitandum est, cambium esse illicitum, turpe & usurarium, ac propterea à Christiana republica prorsus eliminandum. Non enim verò negandum, posse mutuantem, qui solet pecuniam suam negotiatione augere, aliquid percipere à mutuatario titulo *ejus quod interest*, hoc est lucri cessantis, aut damni emergentis; sed cum hic legitimus adest titulus aliquid ultra mutuatam sortem exigendi, is erit legitime adducendus, neque recurrendum ad prædictos cambii obliqui anfractus, qui vehementer ingerunt suspicionem fraudis & deli. Quamobrem clar. mem. Cardinalis Marcellus de Aste, Episcopus Anconitanus, in suo Pastoralis monito, edito post Constitutiones Synodales Cardinalis Bartholomæi Massæi ejusdem Urbis Episcopi, evulgatas anno 1738. *pag. 165. & seq.* suas oves serio est dehortatus à cambiis obliquis, quæ mera esse deprehendit tegumenta

usuræ; nec inopportunum existimamus, ut quilibet Episcopus ad eradicandum à sua Diccesi eorumdem cambiorum abusum, simile momentum formet, suisque inserat Synodalibus Constitutionibus.

## CAPUT VI.

*A cambiis localibus activis, omnique alia quæstione negotiatione, quantumvis in se licita, & laicis permissa, per Synodalem Sanctionem cohibentur Clerici.*

EX illicitis cambiis iterum ad localia licita redeuntes; hæc à laicis impudè exerceri poterunt, non vero itidem à Clericis, quibus vetitum esse cambiis activis operam dare, statim demonstrabimus. Nihil est antiquius in Ecclesia, lege Clericis imerdicente omnem secularem curam & questuosam negotiationem, quo Iberius possint orationi vacare, & ad Ecclesiastica, quibus addicti sunt, ministeria incumbere; quod pluribus probat Theophilus Raynaudus in *discept. de Religioso Negotiatore*. Quinimodò tam ipse Raynaudus in *ead. discept. §. 3.* quam Franciscus Doninicus Granuletus, in Apologia, quam compilavit *pro lege Divina prohibente Clericis mercatariam*, eam prohibitionem à Jure Divino promanasse, contendunt. Septimus inter Canones, dictus Apostolicus, ex recensione Cotelieri, alias quartus, sic se habet ex versione Dionysii Exigui: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, nequaquam seculares curas adsumat; sin aliter, deficiatur.* Cyprianus *epist. 66.* testatur, suo ævo Clericos ab omni commercio civili fuisse avocatos: *Quæ nunc ratio (ait) & forma in Clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini Ordinatione Clerici promoventur, in nullo ab administrandis Divina avocentur, nec mo-*



lestis, negotiis secularibus alligatur; cuius quidem disciplina adeo tenax fuit idem Cyprianus, ut, cum audiret, à Gemino Victore, de sculo excedente (quem Pamellus suspicatur fuisse Episcopum Ecclesie Furnitanorum), quemdam Geminium Faustinum Presbyterum fuisse testamenti sui tutorem nominatum; in ead. epist. ad Clerum, & plebem Furnis consistentem data jussit, ut contra Victorem sententiam exequerentur canonis Africani, quæ erat, ne pro dormitione ejus fieret oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia (pro more tuæ temporis usitato) frequentaretur: Neque enim (ait) apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & Ministros voluit vocari. Atque ut propriis ad quæstuosam negotiationem accedamus, Concilium Carthag. III. anni 397. can. 15. t. 1. Collectionis Harduini col. 967. statuit Placuit, ut Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi, vel Clerici, non sint conductores, neque procuratores privatorum, neque ulli turpi vel inhonesto negotio victum querant; qui respectu debent scriptum esse: Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus. Concilium Arelatense II. circa annum 512. can. 14. tom. 2. Collectionis Harduini col. 774. decretum: Si quis Clericus pecuniam dederit ad usuram, aut conductor aliena rei voluerit esse, aut turpis lucrû gratia aliquod negotiis exercuerit, depositus à Clero, à communione alienus fiat. Patres verò Concilii Chalcedonensis can. 7. cit. tom. 2. ejusdem Collectionis col. 602. se molestissime audivisse ajunt, quod quidam, qui in Clero videntur allecti, propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, & secularia negotia sub cura sua suscipiant; idque fieri, eo-

dem canone vetant. Concilii consentiunt antiqui Ecclesie Patres, è quibus Hieronymus dist. 52. ad Nepotianum n. 5. relato in Can. 9. dist. 88. Clericum negotiationi vacantem, quasi excommunicatam, fugiendum suadet. Negotiorem Clericum, & ex inopie divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fugi. Auctor Questionum veteris, & novi Testamenti inter Opera Augustini c. 127. relat. ead. dist. Can. 16. Fornicari (ait) omnibus semper non licet; negotiari vero aliquando licet, aliquando non licet. Antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari; factum jam, non licet. Severus Sulpicius hist. l. 1. c. 27. Clericos turpi quæstui inhiantes, ita oburgat: Tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido, veluti tabes, inessit; inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt, venduntque, quæstus per omnia student. Quare Gelasius Papa, ut hanc Clericorum immoderatam aviditatem compesceret, epist. ad Episcopos per Lucaniam, Bravios, & Sicilliam constitutos, c. 15. relato in Can. 14. q. 4. Clericos, qui deinceps negotiationi operam darent, ab omni Ecclesiastico ministerio arcendos, decrevit: Clerici aut ab indignis quæstibus nocerint obtinendam, & ab omni cujuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate cessandum; aut in quocumque gradu sint positi, si cessare voluerint, mox à Clericalibus officiis abstinere cogantur. Cuius vestigii inherens Alexander III. in c. 6. Ne Clerici, vel Monachi, sub interminatione anathematis prohibuit, ne Monachi, vel Clerici causa lucrû negotiantur; ejusque Constitutionem instauravit Clemens V. in Clem. 1. §. Advorsus verò, de vit. & honest. Clericorum.

II. Verum quædam sunt species

negotiationis improprie talis, Clericis minime interdictæ, quas diligenter expendunt Theophilus Raynaudus in cit. discept. Gonzalez in cit. cap. 6. Ne Clerici, vel Monachi, num. 6. Panimoll. decis. 6. annot. 5. part. 1. & Episcopus Perrimezzius in suis Canonie. Allegat. part. 3. allegat. 5. Istarum præcipua est, quæ quibus manu suarum labore, & honesto artificio, victum sibi comparare studet. Hanc approbavit Apostolus Paulus Act. 20. de ipso dicens: "Ipsi scitis, quoniam ad ea, neque mihi opus erant, & his, qui necum sunt, ministraverunt manus vestras: Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & sollicitatione, nocte, & die operantes, ne quem vestrum gravaremus." Ad sanctissimi porro Apostoli Pauli imitationem, plerique venerabiles Antistites, & Sacerdotes, susceptæ Divini verbi prædicationi, sacrisque Ecclesie ministeriis, externam manuum operam adjungebant, quæ nec à dignitate ipsorum, nec ab Ecclesie cura, quam perpetuum gerebant, abhorreret; eaque ratione sibi metipsis vite subsidia parabant, tum aliis egentibus operis sui quæstum imperitebatur, sicuti narrat Epiphanius heresi 80. num. 6. Et profectò de Zenone Episcopo Majumæ in Palæstina memorix prodidit Sozomenus lib. 7. cap. 28. eum jam senem, ac centum circiter annos natum, certum tempus lineas vestes extendi artificio dedisse, eoque, sibi metipsis, & pauperibus necessaria subministrasse, cum tamen Ecclesiam divitem, & opulentam haberet. De Spiridione Episcopo Trimituntis in Cypro referunt Ruinus lib. 10. cap. 5. & Socrates lib. 1. cap. 12. quod cum antea pastor ovium fuisset, in isthoc vite genere, ex

singulari animi moderatione omnem ætatem suam transegerit. Monachus pariter Abbatis Aphthonii exercuisse omnes artes, atque ex divenditis officiis victitasse, quod verò supererat, per mulierum monasteria, & carceres distribuisset, scribit Palladius in Aphthonio Hist. Laus. cap. 29. Atque ut innumera ejusdem rei prætereamus exempla, Concilium Carthaginense IV. can. 52. tom. 1. Collectionis Harduini col. 982. jubet Clericis victum & vestitum sibi, artificio vel agricultura, absque officii sui detrimento, parare. Altera improprie negotiationis species, Clericis permixta esse vendere res ex propriis prædiis collectas, suaque sustentationi superfluas; in quo sensu dixit Auctor Operis imperfecti in Mathæum hom. 38. omnes homines esse negotiatores, quia omnes coguntur rebus, quibus abundant, cum aliis quibus carent, permutare. Licetum quoque esse Ecclesiasticis & rebus ad propriam, & familie sustentationem cõemptis, quæ supersunt, etiam carius, quam emerit, vendere, modo justis pretiis non prætergreantur limites, jure tradunt Gonzalez in cit. cap. 6. num. 6. Reb. de oblig. just. part. 2. quest. ult. num. 2. Molina de just. disp. 342. conclus. 2. Gutierrez de gabell. q. 36. num. 16. Cætera, quæ absque veteri negotiationis nota à Clericis exerceri queunt, idem Auctores enucleatè explicant.

III. Quoniam tamen Clerici quæstum inhiantes, facile sibi persuadent, hunc, aut illum contractum, ipsis cæteroque prohibuit, intra seculum contineri negotiationis minus proprie talis, & quod deterius est, facile Theologos inveniunt, falsæ eorum opinionis patrociantes; necesse propterea est, ut interdum Episcopus eorum immoderate aviditati obsistat; sed



penas evadere, si nimirum cambiis activi contractum per interpositam incant personam; haud enim ignorant plurimos, gravesque Auctores opinari fas esse Clericis, quamlibet quatuordecim negotiationem per alium exercere; tunc quippè, ajunt, non distrahantur à Divinis, nec eum proprii status dedecore implicentur secularibus curis; quæ fuit unica ratio, cur sacri canones omnem illis interdixerint negotiationem. Ita docere Molina *tract. 2. disp. 342. num. 13.* Lessius *de just. lib. 2. cap. 21. num. 6. in fin.* Layman *Theolog. moral. lib. 7. tract. 4. cap. 17. §. 7. n. 40. vers. Præterea.* Theophylus Raynaudus *cit. discept. n. 91.* Cardinalis de Luca de Cambiis *dist. 18. n. 8. circa med.* Lazarus Benedictus Migliorucci, sacrorum Canonum in Pisana Universitate Professor, *Instit. Canon. lib. 2. tit. 29. dissert. 7. pag. 497. & seq.* alique plures. Huius eadem opinioni adhaerens sæpius laudatus Altovitus, sacre Congregationis Concilii olim Secretarius, in quadam causa *Florentina*, sacre Congregationi proposita die 29. Novembris 1681. Clericos etiam Sacris initiatos, censuit, & poenæ, & culpæ reatum effugere, si cambia activa contrahant per interpositam personam; quamvis hanc opinionem minus tutam advertens, suum suffragium hisce verbis concluderit: *Verum quidem est, hunc negotiandi modum, per interpositam personam, licet non prohibuit, nec illicitum, non esse tamen decentem statui Clericali, ideoque non esse ad praxim deducendum.* De eodem juris articulo, ejusdem cause occasione disseruit Cardinalis de Luca in suo speciali discursu, edito ab Episcopo Zaulo *ad Statut. Favent. tom. 1. 2. edit. Roman. anni 1725. pag. 166. & seq.* qui, cum jam antea docuisset, licere Clericis, etiam per se-

IV. At nihilominus arbitrantur Clerici, nullo negotio se posse cas

metipso, cambia activa contrahere, eò fortius illis permisum censuit & cambia, & quamlibet aliam negotiationem, per alium exercere. Quia tamen optimè prævidebat, hanc doctrinam, si à sacra Congregatione approbaretur, scandalum parituram; ideo sub ejusdem discursu num. 60. sacre Congregationi auctor fuit, ne ullum hac de re responsum daret; & reapse neque tunc, neque die 23. Septembris 1686. qua eadem questio ejusdem sacre Congregationis examini fuit iterum subjecta, ullum ab ea prodit responsum. Sed prædictam opinionem, quam Cardinalis de Luca, & Altovitus sectati fuerant, iterum postea in trutinam positam, validissimis argumentis refutarunt Fantinellus Romanae Curiae Prælati, morum integritate, & Juris scientia præclarus, in sua *respon. 6. num. 41. tom. 2.* & clar. mem. Cardinalis Acciajoli in quodam suo suffragio exarato in causa *Milevitane Synodi numer. 26.* Et similiter Romanae Rotæ Auditorium, eadem rejecta, contrariam sententiam est amplaxaturum; uti videre est in *decis. 1. num. 9. tit. 47. tom. 3. coram bon. mem. Cardinali Falconerio.* Et rectè quidem; quoniam, juxta regulam 72. Juris, in 6. *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.* Nec verum est; Clericos, per interpositam personam, cambiis, alterius generis negotiationi vacantes, à curis liberari, quibus negotiatores implicantur; scimus quippè, experientia edocente, eos continuè anxios & sollicitos esse de lucro, quod ex data alteri pecunia sint reportaturi penosque timoris, ne à socio decipiantur. Neque contrariæ opinioni favet canon 18. Concilii Eliberitanis, ubi venia data videtur sacris Ecclesie Ministris, aliorum opera &

Tom. I.

ministerio negotiationem exercendi, dum dixerit *tom. 1. Collectionis Harduini col. 252. Episcopi, Presbyteri, & Diaconi de locis suis, negotiandi causa, non discedant, nec circumveniant provincias, quæstuosas mundanas sequentur. Sanè ad victum sibi conquirendum, aut filium, aut liberum, aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant, & si voluerint negotiari, intra provinciam ne gottentur.* Siquidem si vel sola consideretur, quæ ea etate vigeat, Ecclesiasticæ disciplinæ sanctitas, & præ oculis habeantur quos indicabimus, vetustissimi Ecclesie canones, sacros Actari Ministros ab omni turpis quæstus suspicione quam longè abesse jubentes, facile est conjicere, Eliberitanos Patres de sola locupletissima negotiatione, tunc temporis usitata, qua scilicet sanctissimi Antistites, alique inferioris ordinis Sacerdotes, ex artibus, proprio labore confectis, victum sibi, & pauperibus comparabant; simulque edixisse, ne ad hanc licet innoxiam exercendam, iidem extra provinciam vagarentur.

V. Sed supervacaneum est pluribus de hac quæstione disserere, quæ nos, statim ac ad supremum Ecclesie Pontificatum eveci sumus, definitivum; necessarium quippè reputantes, novæ legis franco cobidere insatiabilem Clericorum cupiditatem divitiis accumulandi, nostris Apostolicis litteris, datis die 25. Februarii 1741. quæ habentur *tom. 1. nostri Bullarii Constit. 17. declaravimus & ediximus, nullam negotiationem, alias Clericis prohibitam, posse ab iisdem, sub alieni nominis velamine, exercere, eique etiam per alios, operam dantes, obnoxios fecimus poenis, quæ à sacris canonibus, & Constitutionibus Apostolicis statuta sunt contra Clericos negotiatores. Quocirca, cum contro-*

Kk ver-



versia Apostolica Sedis iudicio dirempta jam sit, tunc poterunt Episcopi ad ipsum in suis Synodis iterum decernere, & Clericos per interpositam personam cambia activa contrahere praesumentes, ad sacrorum canonum normam punire.

## CAPUT VII.

Quid sentiendum de contractu, quem vocant trium contractuum; an à Synodo permitti; an potius proscribi debeat.

Postquam Clericis ab omni etiam in se licita negotiatione propriè tali omnino abstinendum diximus, indagandum restat, an laicis inire liceat contractum societatis, cum *assurance*, (ut ajunt) *capitalis*, & *fructuum*; quem enim *contractum trium* appellant; quidque de illo ab Episcopo decerni queat, est indicandum. Contractus societatis, generatim acceptus, est *duorum*, vel *plurium conventio contribuendi ad commune lucrum*, & *damnum*, *secundum proportionem rerum contributarum*. Potest autem contribui vel pecunia, vel opera, seu industria, vel instrumentum, puta navis, equus, anima, &c. eaque omnia debent ad negotiationem destinari; nulla quippè, nisi ficta, potest esse societas, ubi nulla ex rebus à sociis collatis instituitur negotiatio, ex qua lucrum sperari queat. Ut autem societas justa sit, sicuti lucrum, ita & periculum, ac damnum debet, secundum eandem proportionem; esse singulis sociis commune; nam, ut ait Ulpianus in *leg. 29. ff. pro socio, si alter lucrum tantum, alter damnum sentiat*, societas diceretur *leonina*; ab apologo leonis, qui, absque ullo sui periculo, aliarum ferarum venationis

particeps esse voluit.

II. Ad ejusmodi verò periculum evitandum, atque unum ex sociis solius lucri participem, ejusque secum reddendum, hic inveniendae societatis modus est adinventus: Titius inquit contractum societatis cum Sempronio mercatore, cui mille aureos tradit, è quibus probabiliter sperat se centum, & triginta lucraturum; sed metuens Titius, ne unà cum sperato lucro etiam capitale amittat, alium contractum inquit cum eodem Sempronio, cui condonat sexaginta aureos sperati lucri, ut qualicumque sit futurus negotiationis exitus, ipsi caveat de securitate capitalis mille aureorum; rursusque secum reputans Titius, melius sibi fore, aliquid moderatum lucrum, sed certum habere, quam pinguius, sed incertum expectare, tertium contractum cum eodem Sempronio inquit, quod eidem remittit alios viginti aureos sperati lucri, ut quinquaginta residuos ei solvat, si ve negotiatio bene, si ve male succedat. Obstringitur itaque hæc contractibus Sempronius ad reddendum Titio intra certum tempus integram sortem, id est summam mille aureorum salvam, & quinquaginta insuper aureorum incrementum.

III. Hic porò est trius ille contractus, quem celebrem fecit exorta inter Dominicum Scotum, & Martinum Navarrum discordia. Præbat nimirum Navarrus, tres putatos contractus, simul, & cum eadem persona, tuta conscientia inire posse, atque ab usuraria pravitate immunet esse, ob rationes, quas adducit in *suo manuali cap. 19. num. 254. & seq.* Sotus ex adverso asserbat, trium illorum contractuum conjunctionem de genere in mutuum fœderationem, & societatis leges, quæ lucri, damni, communionem exposcunt, evenerem, sum-

quamque assertionem pluribus propagabat argumentis, quæ videti possunt in ejus *Opere de just. lib. 6. q. 6. art. 2. Causa delata est ad Sixtum V. Pont. Max. qui, diligenter quæstione discussa, duplicis securitatis pactionem societati adjectam, usurariam pronuntiavit, eamque deinceps fieri prohibuit sui Constitutione 68. quæ incipit *De restabili*, edita anno 1586. tom. 1. part. 4. *Bullar. pag. 263.**

IV. Et nihilominus nondum causa finita est; siquidem plures, & non obscuri nominis posteriores Theologi trium contractum ab omni usure reatu absolvunt, & licitè etiam nunc fieri posse defendunt; inter quos *Covarr. 3. var. cap. 2. n. 3. Lessius lib. 2. de just. cap. 25. dud. 3. num. 24. Franciscus Garcia de contract. part. 2. cap. 67. Cardinalis de Lugo de just. & jur. disp. 50. sect. 4. Gibalinus de usur. lib. 6. cap. 3. art. 4. Salamanticenses tom. 3. Curs. moral. tract. 14. cap. 3. punct. 2. §. 2. Bonacina de contract. disp. 3. q. 3. punct. 11. n. 2. Vanroy part. 3. tract. de contract. cap. 6. q. 1.* Neque his negotium facessit contraria Constitutio Sixti V. ajunt enim, Cardinales Toletum, & S. Severinæ, quibus concinnandæ Constitutionis cura fuerat à Pontifice commissa, testatos esse Patri Stephanos Tuccio Societatis Jesu Sixti mentem fuisse, damnare dumtaxat conventiones, & pacta, quæ in se injusta, illicita, & usuraria forent, non verò quæ omni usura vacare probarentur; quod refert *Comitolus Respons. moral. lib. 3. quest. 12. num. 3.* hæc verbis: «Cardinalis Toletus, & Cardinalis S. Severinæ, quibus minus mandatum fuit à Sixto V. componendæ legis, seu Bullæ «Detestabilis, asserunt Patri Stephano Tuccio, Theologo Societatis «Jesu, ut is datus ad me litteris res-

atus est, nolisset Sixtum sua lege «prohiberi, nisi injustos societatis «contractus; quare qui ante legem «latam justè erant; post latam quoque «nolice.» At ante legem à Sixto latam, pergunt præfati Doctores, injusta, & usuraria erat societas, in qua periculum capitalis, & lucri rejicitur in alium socium, virtute solius contractus societatis; non autem, quæ vi duorum, qui societati superadduntur, contractuum, unum socium securum reddit capitalis, & aliojus partis lucri; hic quippè hanc securitatem emit ab altero socio, qui liberè, & spontè ad eam se obligat, & tamquam præstitæ cautionis pretium, assequitur illud longè majus lucrum, quod primum ex collata in negotiationem pecunia probabiliter sperare posset. Ita pariter sensisse addunt celeberrum Romanæ Rotæ Auditorem Joannem Baptistam Cocchinum in *una Romana societatis* 3. Junii 1602, cuius sententiam idem sacræ Rotæ Tribunal constanter tenuit, pluribusque confirmavit decisionibus, in quibus ratum habuit contractum trium.

V. At præfatis Doctores contra dictiores se præbent Genett. *Theolog. moral. tom. 1. tract. 4. cap. 14. Natalis Alexander Theolog. dogm. & moral. edit. Paris. tom. 2. lib. 3. cap. 7. art. 5. reg. 23.* Auctor *Dissertationis editæ Lugduni anno 1673. de usuraria trium contractuum pravitæ*, Aurelius Pierre tom. 4. *de contract. quæst. 4. §. 2. Sainteubeuve cas. 185. tom. 2. resolut.* Auctor *Theolog. moralis ad usum Seminarii Petrocorensis tom. 2. lib. 4. cap. 8. Gabriel Anroine tom. 3. tract. de contract. cap. 8. quæst. 3.* Continuator *Praelectionum Tournely part. 2. de contract. cap. 4. art. 13. & nuper Daniel Concina in Opere, cui titulus Usura contractus triini Dissertationibus*



*Historico-Theologicis demonstrata*, alique, quibus absconum videtur opinari, Sixtum V. in Constitutione, quam edidit ad terminandam controversiam inter Sotum, & Navarrum summa contentione agitatam circa illum contractum trinum, de quo in præsens est sermo, verbis luisse, & questionis nodum non solum non solvisse, sed ne attigisse quidem. Ex assertione autem Cardinalium Toleti, & S. Severinæ, aliud non inferri autumant, nisi quod Sixtus noluerit legem novam rogare, sed contractum proscribere, quem prehenderat jam in se turpem, & usuræ labe foedatam. Equidem, cum tempore Clementis VIII. compilandus esset liber septimus Decretalium, fuit dubitatum, an illi inserenda foret prædicta Sixtina Constitutio, atque in Congregatione habita die 12. Novembris 1593. deliberatum, non esse inserendam; eò quòd nihil novi in ea decernatur, sed contractus reproberetur in se feneratoritius, jam à Jure communi prospectus; sicuti colligitur ex Actis Congregationum ea super re habiturum, quæ asservantur in Archivo Arcis Sancti Angeli. Quod autem contractus trium contractum sit in se feneratoritius, evidenter patere, prædicti Autores arbitrantur; quoniam conferens pecuniam, rejecto periculo in accipientem, censetur mutuum dare, & pecuniæ dominium in eundem accipientem transferre, cui reipsa perit, si pereat. Neque ad rem facere videtur, quod accipiens pecuniam obligetur ex pacto ad eam erogandam in negotiationem, quod non contingit in vero mutuo, cujus ratione ita mutuatarius fit dominus acceptæ pecuniæ, ut eam pro suo libito in quemcumque usum impendere valeat; etenim ea pacto, & inde orta obligatio videtur apparet,

atque unice apposita ad obtegendam usuram, quia reverà nihil interest ejus, qui pecuniam tradit, habita cautione, & pecuniæ, & lucri, an illa ab accipiente in negotiationem, vel in alium quemcumque usum impendatur. Addunt præterea, trini contractus obtentu omnes leges eludi, usuras prohibentes; cum petenti mutuum quilibet respondere possit: nolo mutuum dare, sed societatem tecum inire sub pacto, ut me de sorte securum facias, & ob majus lucrum, quod ex negotiatione probabiliter spero eventurum, aliquid minus, sed certum, mihi tradendum pronittas. Sciunt sanè, etiam hunc contrahendi modum approbati à Navarro *cit. loc. num. 255.* at non ita sensisse clamitant Gregorius IX. in *cap. Naviganti, de usuris*, cum ait: *Naviganti, vel eunti ad mundanas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Si quidem (inquunt) si Pontifex feneratorum pronuntiavit, qui non aliter pecuniam vult mutuum dare mercatori maritimo, quam subeundo ejusdem pecuniæ periculum, ut hac ratione aliquid ultra sortem à mutuatario percipiat, quemadmodum predicatum textum expendentes adnotavit S. Antonius 2. *part. cap. 7. §. 2. tit. 7. Sylvester verb. Usura 1. §. 35. Molina de contract. disp. 318. n. 10. & Gonzalez in eod. cap. Naviganti, num. 8.* multò magis usurarius erit, qui non aliter vult societatem inire, nisi rejecto in socium sortis periculo, & accepta insuper ab eo securitate alienius lucri. Neque verò audientes volunt Autores relatos à Gibalino de *usuris lib. 2. cap. 4. art. 5. n. 25.* existimantes, in allegatum textum irrepsisse mendum, & legendum: usu-

*rarius non est censendus*; huic quippe explicationi, teste eruditissimo Gonzalez *ibid. num. 7. in fin.* repugnat omnium Codicum fides, in quorum nullo invenitur particula non, sed textus legitur, sicuti habetur in vulgata Decretali.

VI. Hæc sunt præcipua rationum momenta, quæ in utramque partem adducuntur; neque Apostolica Sedes priori opinioni, etsi minus congruere videatur Sixtinae Constitutioni, ullam hæcenus censuram inussit, à qua proinde eidem infligenda debet Episcopus abstinere; ad usum verò quod attinet, tutò poterit contractum trinum, quem etiam ejusdem patroni periculosum fatentur, pro viribus impedire, atque ab eo incunodo suos subditos dehortari; quod à plerisque Episcopis in suis Dioecesanis Synodis sapientissime factum referunt, citati Genett. *tom. 1. tract. 4. cap. 14.* Natalis Alexander *epist. 94. in Appendic. ad tom. 2. suæ Theolog. moral.*

## CAPUT VIII.

*Contractus cujuslibet Dioecesis proprii, & peculiare in Synodo examinentur.*

Quoniam impossibile foret singulos recensere contractus, quos versutorum hominum nequitia in dies excogitat ad larvandas usuras, Episcopus generatim monemus, ut cum aliquem peculiarem contractum, alibi inusitatum, in commissis sibi Dioecibus fieri animadvertunt, quem ipsæ semet implera atque involuta illius inveniendi formula suspectum reddit, eum, acitis in consilium Theologis, diligenter examinent, & si usuræ labe foedatum repererint, statim prohibent. Præstitum id fuisse, à scriphis

laudato Præsule Bouaventura, Episcopo Montis Falisci, & Corneti, narrat Franciscus Gervasius in *supra cit. Ordine Synodi*, quo teste, vigilantissimus ille Antistes in Congregationibus suæ Dioecesanæ Synodo prævisis, Theologorum judicio subiecit plures contractus, in sua civitate, & Dioecesi usuratos; è quibus, qui aut manifestè feneratoritii, aut occulti feneratoris suspecti sunt ab illis renuntiati, Synodali Constitutione interdixit.

II. In nonnullis Dioecibus frequentes sunt contractus, vulgò nuncupati *collatici*, qui sunt hujusmodi: Pro quolibet bovis terram arantem, tradito bubulco, seu colono, solvitur domino bovis certa portio frumenti, hæc tamen adjecta lege, ut, si bos naturaliter moriatur dampnum sit domino, & bubulco commune; si verò pereat culpa ejus, cui traditus est, is totum dampnum subeat. Hic contractus, de quo fuit Clericat. in *miscellan. decis. 50. per tot.* invaluerat in Dioecesi America, & quia poterat primo aspectu aliquam usuræ suspicionem ingerere, ut eam eluceret providi Episcopi Amerin, illum Theologis sedulo discutendum commiserunt; cumque ab his accepissent, usuræ flagitio vacare, contractum, uti antea consueverat, etiam in posterum fieri permiserunt; sed quo magis dolis & fraudibus occurrerent, nonnullas conditiones in eo adhiberi jusserunt, quas etiam approbavit sacra Congregatio Concilii die 6. Decembris 1730 *Theaur. Resolution. tom. 5. pag. 86. & 87.*

III. In nostra Dioecesi Bononiensi, aliisque finitimis urbibus, frequentissimus est contractus, qui dicitur *pactum francandæ*. Titius vendit domum, seu prædium Sempronio, cum pacto



redimendi rem venditam, quam tamen non tradit Sempromio, sed sibi retinet, tamquam ejusdem conductor, solvique propterea emptori mercedem conventam, donec illam redimat. Contractus ejusmodi, cuius meminit Rota Bononiensis apud Cyprium *decis.* 110, reputatur licitus; etenim, cum illicitum non sit rem vendere cum pacto redimendi, neque illicitum erit, eidem adijcere alium contractum locationis, & conductionis, qui præcedentem venditionem non destruit, sed confirmat; quemadmodum ratiocinatur Ansaldo *decis.* 463. num. 4. & *seq.*

IV. At nonnulla sunt, quæ contractum venditionis cum pacto redimendi, vitare possunt. Et primò quidem, si in illius stipulatione facultas, quæ datur venditori, rem venditam, quandocumquè voluerit, redimendi, gravetur onere eam redimendi, majori pretio, quam ad rem venderit, contractus erit injustus; quamquam enim Leotardus *de usuris quest.* 15. num. 10. etiam hanc pactionem licitam tueatur, recitans tamen alii usurariam præsumendam contentent; addentes, quod si hæc præsumptio aliis adjuvetur conjecturis, sine ulla hesitatione debeat in foro externo absolute usuraria pronuntiari, ob regulam textus in *cap. Illa nos, de pignoribus*, quam ad rem exornat Ansaldo *cit. decis.* num. 6. Secundò, si venditio fiat cum pacto redimendi intra certum tempus, quo elapso non sit amplius locus retrovenditioni, manifestam pariter reddet usuram; siquidem ejusmodi pactum efficit, ut contractus induat naturam pignoris, quod observavit Mantica *de tacit. & ambig. conven. lib. 4. tit. 31. num. 68. & seq.* & quomvis non indueret naturam pignoris, adhuc à justitia deficeret, si

obtentu pacti redimendi, venditio fieret intra limites justipretii, neque haberetur ratio oneris impositi venditori fundum redimendi intra certum tempus, quo elapso, nequeat illum pro suo libito, eodemque pretio recuperare; de qua re legendus est Leotardus *cit. quest.* 15. à num. 16. usque ad 217 ubi pluribus argumentis præfati contractus injustitiam demonstrat. Tertio, si pactum redimendi hac lege ineatur, ut non liceat venditori fundum redimere, nisi post præfiniti temporis, puta duorum, aut decem annorum, intervallum, non carebit præsumptione usuræ; quoniam ex ea temporis præfinitione fas est conjicere, interim voluisse emptorem lucrari ex mutuo, & usuram ficta fundi emptione palliare; & quamvis hæc sola conjectura tanta non sit, ut contractum in foro externo statim evincat fœnerationem, sit tamen emptor aliàs fuerit de usura diffamatus, aliud non desiderari, ut etiam prædictum pactum judiciali sententia declaratur usurarium, docent Mohedan. *decis.* 3. *de empt. & vendit.* & Mantica *loc. cit.* num. 31.

V. Jam verò, cum pactum francandi, de quo est sermo, intra speciem continetur contractus venditionis cum pacto redimendi, (sicuti præmonuimus) omnes prælatæ, atque similes conditiones, quæ hanc turpem atque illicitum reddunt, etiam illud contaminant. Quare Gabriel Cardinalis Paleotus, primus Archiepiscopus Bononiensis, ne pactum francandi, in sua Dioecesi passim usurpatum, animas suæ curæ concreditas usuræ flagitio illaquearet, accuratam Instructionem promulgavit, typis Bononiensibus anno 1587. impressam post questiones morales ejusdem mandato explicatas à Patre Ludovico de Beja Ordinis Ere-

mitarum, in qua, mira prudentia, & solertia, omnes in primis enumerat, & enucleatè exponit conditiones, quæ illud in foro externo aut omninò usurarium, aut saltem usuræ suspectum probant; Confessarios deinde monet, ut in foro Sacramentali ab emptore diligenter exquirant, num reversa serium animum habuerit fundum emendi, ejusque dominium acquirendi, vel an potius voluerit mutuum dare pecuniam, & usque ad ejusdem restitutionem consequi fructus ex domo, prædio, aliòve fundo, quem cum pacto francandi emere simulavit; si enim res hoc posteriori modo se haberet, esset certi & turpis fœneris reus; similiter & venditorem interrogandum, ait, num ab emente pecuniam mutuum petierit, cum fœnore restituentem, eumque renuentem induxerit ad usuram obtegendam pallio pacti francandi; in hoc quippè rerum statu non esset venditor immanis à gravis noxæ reatu, cum neminem liceat ad fœnerandum allicere, qui aliàs non sit ad fœnerandum paratus; quinimò vix contingere potest, ut à peccato excusetur, qui, ut consequatur pecuniam, quam ab iniquo fœneratore sine usura obtinere non potest, se obligat ad eam restituendam cum fœnore, juxta Doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 78. art. 4. in corp. Dicendum est, quòd nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris; licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris, propter aliquod bonum, quòd est subventio sue necessitatis, vel alterius; quam sequuntur Innocentius in *cap. Super eo, de usuris*, Sylvester in *Summ. verb. Usura* 7. §. 1. Tabiena *verb. Usura* 8. §. 1. 2. & 3.

VI. Pauca hæc, quæ delivavimus exempla, satis esse videntur ad edocen-

dos Episcopos circumspectionem, quam adhibere debent, cum peculiarem quempiam contractum, nova atque insueta veste circumvestitum, in Dioecesi irreperere advertunt; hunc quippè aut illicò, aut saltem in Synodo solemner expendere debent, nec sinere, ut communi usi recipiatur, nisi ab omni usuræ periculo quam longè abesse compererint.

## CAPUT IX.

*De mulctis, seu penis pecuniariis.*

Non est hic sermo de elemosynis, quibus scimus integrum olim fuisse penitentibus redimere poenam canonicam; cui pro modo perpetratæ culpæ facti fuerant obnoxii. Etenim, cum, tepescens charitas, cœperint homines ab illis severis jejuniis, aliisque corporis macerationibus abhorreant, quibus penitentibus afflictabantur, ex singulari quadam Ecclesiæ indulgentia illis concessum fuit, ut predictas pœnas possent arbitrio suo redimere, atque in elemosynas commutare. Hujus disciplina, quam non ante sæculum octavum in Ecclesiis inæctam, neque ante nonum propagatam, putat Morinus *de Penit. lib. 10. cap. 17.* monumentum occurrit in Concilio Triburienensi anni 895. can. 56. 57. & 58. tom. 6. part. 1. Collectionis Harduini *cat. 455.* quibus in locis venia datur penitentibus redimendi quorundam dierum jejuniis, in plures annos sibi præscriptum, uno denario, vel pretio denarii, sive tres pauperes, pro nomine Domini, pascendo. Et magis aperte in Concilio Remensi anni 923. ubi, post indictum militibus, qui interfecerunt bello Svesionensi, inter Robertum, & Carolum Reges acto, cujuslibet ferie sextæ, & trium,



quadagesimarum pro tres annos jejuni-  
um, libera sit iisdem potestas, illud  
ex parte redimendi elemosynis: *Om-  
nibus his tribus quadagesimis, se-  
cunda, quarta, & sexta feria, in  
pane, sale, & aqua abstinent, aut  
redimunt; tom. 6. Collectionis Har-  
duini part. 1. col. 362.* Neque ea  
disciplina displicuit Petro Damiano,  
pristinæ severitatis ceteroquin tenaci-  
simo; is siquidem commissis sibi à  
Romano Pontificè Legatione fungens,  
Guidone Archiepiscopo Mediolanensi  
sioniacis Ordinationibus, aliarumque  
rerum sacrarum nundinationibus im-  
plicato, penitentiam injunxit centum  
annorum; sed simul libertatem de-  
dit illius redimenda certa pecuniæ  
elemosyna, in annos singulos ero-  
ganda; quod ipsemet Damianus scripsit  
ad Hildebrandum tùm Romanæ  
Ecclesiæ Archiepiscopum, tùm Baro-  
nionum *ad ann. 1059. n. 55.* Eum-  
dem verò morem adhuc perseverasse  
in fine duodecimi, atque initio decimi  
tertii sæculi, colligitur ex variis libris  
penitentialibus, ea etate exaratis, quos  
producit laudatus Morinus *eodem cap.  
17. num. 6. & seq.* & evidentèr consp-  
it ex epistola Innocentii III. *tom. 1.  
epistol. r. ex recensione Stephani Ba-  
luzii pag. 517. lib. 2. epist. 270.*  
Archiepiscopo Magdeburgensi, &  
austrogensis ejus, Abbatibus &c. *in  
Magdeburgensi provincia constitutis,*  
data pro bello sacro in qua hæc illis,  
inter ceteras, imperitur facultatem,  
nimirum ut circa eos, qui de bonis  
vssitis Terræ Sanctæ voluerint subveni-  
re, de discretorum virorum consi-  
lilio, qualitate personarum, & rerum  
infacultate pensatis, ac considerato ni-  
hilominus devotionis affectu, opus  
siinjunctæ penitentiae commutare pos-  
sint in opus elemosynæ faciendæ.  
Sed posteriori etate, quemad-  
modum idem Morinus observat, cum

obsoleverint penitentia canonica,  
consequens fuit, ut obsolesceret etiam  
earundem redemptio, de qua nul-  
lum verbum fecere antiqui Scholasti-  
ci, etsi de variis speciebus relaxa-  
tionum penitentialium multa dispu-  
taverint. De hisce elemosynis fere  
agit Muratorius *tom. 5. dissert. 68.*  
*Antiquitatum Italicarum mediæ ævi,*  
ubi notat, eas, quæ juxta sacrarum  
Canonum normam, erogandæ erant  
in redemptionem captivorum, aut in  
alimoniam pauperum, uti habetur  
apud Reglnonem *lib. 2. cap. 440.*  
& *seq.* aliquandò, hominum malitia,  
fuisse conversas in commodum & uti-  
litatem Sacerdotum, quorum proinde  
turpem avaritiam merito exagitat &  
perstringit.

II. Neque loquimur de elemosy-  
nis, quæ etiam nunc à Confessariis  
penitentibus imponuntur tamquam  
opportunitissimæ ad abluendis scelerum  
maculas, juxta illud *Danielis 4. Pec-  
cata tua elemosynis redime, & iniqui-  
tates tuas misericordiis pauperum;*  
quamquam uti rectè monet Thomasti-  
nus *de vet. & nov. Eccles. discipl.  
part. 3. l. 1. c. 74. n. 7. & 4.* consul-  
tius sit, ut non sola elemosyna peni-  
tentibus præscribatur, sed simul ora-  
tiones, jejunia, aliaque pœnæ corpo-  
ris afflictivæ, pro crimino gravitate,  
& numero, accumulentur, quæ op-  
tiores sunt ad medendum intestinis  
animæ morbis, eorumque contagia ex-  
pungenda, cum elemosyna scilicet ex-  
pungat avaritiam, carnem verò non  
inaceret, nec reliqua vitia directè at-  
tingat. Cavendum præterea est Con-  
fessario, ne elemosynam, quæ peni-  
tenti præscribit, sum prætexens  
pauperem, sibiimet elargiendam sta-  
deat; id quippè aut simoniam speret,  
aut certè non effugeret turpis questus  
notam; à qua ut Confessariis omnino  
immunes servaret S. Carolus Borro-  
meus,

meus, iisdem præterea districtè præce-  
pit, ut, si quando elemosynam, pro  
Missis celebrandis penitentibus injun-  
gunt, eam non sibi, neque Ecclesiæ,  
aut Monasterio suo addicant; qua de  
re plura superiùs à nobis dicta sunt *lib.  
5. cap. 9. in fin.*

III. De hisce elemosynis (ut di-  
ximus) hic non agimus; sed unice res  
est de mulctis, seu pœnis pecuniariis,  
quæ à Judice Ecclesiastico, in vindic-  
tæ patrati criminis sapiùs in foro ex-  
terno infliguntur. Enimverò, si sacro-  
rum canonum statuta perquirimus à  
plerisque ejusmodi mulctas probari, ab  
aliis autem improbari, deprehendimus.  
Concilium Berghamstedense in Ang-  
lia, sub Bertualdo Archiepiscopo  
Cantuariensi, anno 697. celebratum,  
quod habetur in Collectione Spelman-  
ni, *tom. 1. pag. 194. & seq.* & in  
nova Collectione Conciliorum Britan-  
niæ *tom. 1. pag. 60.* adulteriæ, latri-  
ciniæ, aliaque plura enormia delicta,  
pecuniaria mulcta castigat. Leges  
etiam Ecclesiasticæ Aluredi Regis Ang-  
glorum, ab eodem Spelmanno *ibid.  
pag. 364.* & in nova Collectione *cit.  
tom. 1. pag. 186.* relate, serè omnia  
peccata, eadem pœna pecuniaria coer-  
cent. At Othobonus Cardinalis S. Ha-  
driani, Apostolicæ Sedis ad Regnum  
Angliæ Legatus, in suis Constitutionibus  
in Concilio Anglicano anni 1248.  
promulgatis, quæ extant in eadem  
Collectione Spelmanni *tom. 2. pag.  
276.* ne facilius crimina admittentur,  
à quibus quilibet posset solius pœ-  
næ solutione absolvi, id deinceps  
ferri *can. 4.* vetuit; eidemque adherere  
Concilium Excestrense anni 1287. *cap.  
31.* & Concilium Londinense anni 1342.  
*c. 10.* Quamvis enim Thomassinus *cit.  
c. 74. n. 7.* has Constitutiones intel-  
ligat de commutatione penitentiaæ ca-  
nonicæ in elemosynam in foro Sacra-  
mentali, de qua paulò ante, disserui-

mus, nobis tamen manifestè loqui vi-  
dentur de pœna pecuniaria, in foro ex-  
terno irroganda; etenim Constitutio  
Cardinalis Othobeni interdicit Archi-  
diaconis, ne pecuniam à delinquenti  
pro gravi, & notorio crimine reci-  
pian; sed commissum crimen puni-  
ant animadversione condigna; &  
Concilium Londinense Archidiaconis  
pariter, eorumque Officialium pro-  
hibet, ne à recidivo pecuniam reci-  
pian quovis modo, sub pœna restitu-  
tionis dupli pecuniæ, fabricæ Cathed-  
ralis Ecclesiæ applicandæ; Archi-  
diaconi autem, non in foro interno,  
& Sacramentali; sed in externo juris-  
dictionis exercebant; atque in delicta  
animadvertebant.

IV. Concilium itidem Turonense  
anni 1294. *can. 3.* apud laudatum  
Thomassinum *part. 3. lib. 1. cap. 74.  
num. 7.* Archidiaconos, Archiepresby-  
teres, & Diaconos rurales, jurisdic-  
tionem contentiosam administrantes,  
acriter reprehendit, quòd à Clericis,  
& laicis panam pecuniariam, contra  
canonum prohibitionem, exigentes &  
extorquerent. Ex adverso Episcopus  
Augustodunensis in celebri illa dispu-  
tatione super fribus jurisdictionibus Ec-  
clesiasticæ, & laicalis, habita in Con-  
ventu Cleri Gallicani anno 1329. in-  
dicto à Rege Philippo Valensio, pluri-  
bus argumentis evicit, posse, secun-  
dum Jura tam Canonica, quam Civilia,  
ab Episcoporum Officialibus pœnas  
pecuniarias decerni. Idem dissi-  
dium vigere reperimus inter Juris  
communis sanctiones; siquidem Alexan-  
der III. *in Cap. Licet. 3. de panis,*  
improbare videtur, ut pro corrigendis  
excessibus, & criminibus puniendis, à  
Clericis, & laicis panam pecuniariam  
exigatur. Sed idem Alexander III. *in  
Cap. In Archiepiscopatu. 4. de rep-  
toribus, & Honoris III. in Cap. Di-  
lectus. 18. de offic. Jud. ordin. emen-  
das,*



*das, seu multas imponere, & percipere permittuntur.*

V. Si porò sanctorum Antistitum exempla investigamus, ea non minus hac in re inter se discrepare invenimus. S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis consuevit istiusmodi poenas infligere. Sed S. Hogo Episcopus Lincolnensis *Archidiaconos suos, ceterosque Prælatos severè compescuit, ne à delinquentibus multam acciperent pecuniariam.* Cumque ei objectaretur contrarium exemplum S. Thomæ, respondit: *Credite mihi, non idcirco sanctus fuit; alia eum virtutum merita Sanctum exhibuerunt, alio meriti nomine Martyrii palmam; & quod narratur in ejusdem Vita apud Surium die 17. Novembris c. 16.* Similiter de B. Joanne Episcopo Teroanensi refertur in ejusdem actis è coevo Scriptore exaratis, eum numquam induci potuisse ad multas recipiendas. Oppositum autem placuisse aliis Episcopis, doctrinæ, & sanctitatis fama æquè præclaris, eruditè ostendit Franciscus Perez Episcopus Terulensis in sua Defensione canonica, Hispano sermone conscripta, potestatis decretorum Episcoporum *pa. 44. 51. & 69.* quibus fortassè experientia comperit fuit, pecuniarias poenas magis timeri, quam spirituales censurarum, quæ utpote spiritum tangent, interdum à crasis, & obsecratis hominibus contemnantur; quod etiam sensit Petrus Blesensis *epist. 74. tom. 24. Biblioth. Patrum pag. 993.* ubi de quodam Guidone laico, notorio adultero, & sæpius excommunicato, hæc scribit: *Certissimum illius emendationem vobis promitto in oblatione pecunie. Sensibilis est illa sententia, non verbalis, idque plus doloris incurrit, & timoris; nam, juxta Ethicum sap. 13.*

*Ploratur lacrymis amissa pecunia veris:*

*Non cohibent sacra verba malum: majore tumultu*

*Planguntur nummi, quam funera.*

VI. Verùm omnem hæc de re controversiam direxit Concilium Tridentinum, quod *sess. 25. c. 3. de reform.* potestatem decernendi multas pecuniarias Episcopis vindicavit, inquisiens: *»Licet eis (Episcopis), si expedire »videbitur, in causis civilibus, ad »forum Ecclesiasticum quemodolibet »pertinentibus, contra quoscumque, »etiam Laicos, per multas pecuniarias, que locis piis ibi existentibus, »eo ipso quod exacte fuerint, assignentur... procedere, & causas definire.»* At ipsummet Concilium *sess. 6. cap. 1. de reform.* Episcopos sine legitima causa à suis Dioecibus absentes poena multavit amissionis *quarta partis fructuum unius anni, fabricæ Ecclesiæ, & pauperibus loci, per Superiorem Ecclesiasticum applicandum.* Et *cit. sess. 23. c. 14.* in Clericos concubinos, post monitionem non respicientes poena animadvertit privationis tertie partis fructuum suorum Beneficiorum, ac Pensionum, *que fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi applicentur;* crescente verò contumacia, eisdem omnibus spoliat Beneficiorum fructibus ac proventus, prædictis pariter locis applicandis. Quare nemini fas est dubitare, licere Episcopo multas pecuniarias delinquentibus indocere, si ad eorum emendationem, aliorumque terrorem, eas conducere existimaverit.

VII. Rectè tamen monet Fagnanus in *Cap. Irrefragabili, §. Cæterum n. 15. de Offic. Ordinari.* ejusmodi poenas exigi solum posse per judicialem sententiam, & causa cognita, non verò ex-

extra judicium à diffamatis de aliquo crimine, ut illius solutione judicialem evitent inquisitionem; ita enim videntur delicta, non puniri, sed tolerari; & pecunie solutione impunitas enim delinquendi: *»Quod facit (admodum) contra illos Episcopos, qui Dioecesium visitationis titulo peragrantes, »diligenter investigant, an in loco reperiatur aliqui de ullo crimine suspecti, vel diffamati, eisque accessit »contestatur, se vel contra eos criminaliter procedere, sudentque ut se componant in certa pecuniarum summa, quam si recusent solvere, minuantur, se processuros ad formalem inquisitionem, incarcerationem, & condemnationem; & his concussionibus, brevi manu, ingentes pecuniarum summas extorquent, quod est »detestabile; & non semel vidi processus contra Episcopos super hujusmodi extorsionibus & concussionibus fabricatos.»*

VIII. Abstinere præterea debet Episcopus à novis constitutionibus passim edendis, inflicta in transgressores poena pecuniaria; ne videatur illas ferre pro quatuor, & pecunie emungendæ causa; ad quam alumnium prævertentur Concilium Provinciale Aquense anni 1585. *tom. 10. Collect. Hard. col. 1576.* loquens de Synodo Dioecessana, statuit: *Censura tibi fiat de singulorum moribus, vestitu, & vita; ac infligatur poena potius personalis, etiam carceris, ubi opus fuerit, quam pecuniaria.* Eandem pariter fuisse mentem sacre Congregationis Concilii, ex pluribus, quas subnectimus, ejusdem decisionibus, edocetur. Jussit Tridentinum *sess. 5. cap. 2. de reform.* ut Plebani, cæterique animarum Rectores *diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus, & plebes sibi commissas, pro sua, & earum capacitate, pascant salutaribus verbis; voluitque ut si ab Epis-*

*copa moniti, trium mensium spatio numeri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias, ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur.* Hinc si-bi licuisse putavit Episcopus Novariensis in suis Constitutionibus Synodalibus Parochos, huic decreto contravenientes, pecunia mulctare. Sed Sacra Congregatio Concilii die 15. Junii 1658. etsi de prestate Episcopi non dubitaverit, id tamen fieri non decessit, respondit. Episcopus Asi-siensis in sua Synodo excommunicationem, & quinquaginta anreorum poenam decreverat in Parochos è sua Parochia duorum dierum spatio, sine Episcopi licentia, absentes. Sed eadem Sacra Congregatio delendam censuit à decreto excommunicationem latæ sententiæ; & poenam pecuniarum non imponendam in certa quantitate, sed relinquendam arbitrio Episcopi, quicum casus contingeret, ita illam temperaret, ut responderet temporis absentia, & redibus Parocho ex sua Ecclesia obvenientibus; uti habetur *lib. 153. memorialium p. 653.* In Synodo Brundusina statutum fuerat, ut Sacerdotes, alique inferiores Clerici indovere deberent Ecclesiæ, cui juxta decretum Tridentini *cap. 16. sess. 23. de reform.* erant adscripti, singulis Dominicis, alisque festis diebus, & in tota Octava Corporis Christi, atque insuper solemnibus supplicationibus, per annum fieri consuetis, interesse, sub poena ducatorum quinquaginta, Seminario applicanda; sed sacra Congregatio die 19. Julii 1618. admonendum censuit Episcopum, ne ad poenæ executionem procederet, eod quòd Tridentinum *cit. loc. Clericis Ecclesiam deserentibus, cujus obsequium in eorum Ordinatione sunt mancipati, interdicendum domtaxat statuat exercitium Sacrorum.*



## CAPUT X.

*De mulctarum seu poenarum applicatione seu destinatione; & obiter nonnulla de procuratorum debita Episcoporum visitanti.*

Hec de potestate imponendi poenas pecuniarias. Quod verò atinet ad earundem poenarum destinationem, & usum, sacra Congregatio Concilii apud Paganum in cap. *Presbyteri, de poenis, à n. 4. usque ad fin.* hęc tria declaravit: primò, mulctas à Tridentino inflictas Clericis non residentibus, aut concubinatibus, & quę juxta *cit. c. 3. sess. 25.* ad retinendam Clericorum, & laicorum contumaciam indicuntur, semper locis piis, sicuti idem Tridentinum præcipit, esse assignandas; secundo, quę nulla certa lege, vel statuto sunt taxata, seu in certa pecunię summi præfixitæ, sed Episcopi arbitrio decernuntur, eas similiter non posse, nisi in opera pia expendi; ne secus, ut idem Paganus n. 9. ponderat, arbitrium Episcopi, propter avaritiam, & quętum; sit immoderatum; tertio denique, quas in certa mensura designant canones, vel Synodice Constitutiones, servari posse integras egenti Episcopo, si verè egent; quamvis monente eodem Paganus n. 22. ad evitandum scandalum, & peccati periculum, tutius sit, ut Episcopus priusquam prædictas poenas sibi vindicet, consulat sacram Congregationem Concilii, cujus erit iudicare, cui tervèr tanta prematur inopia; cui prædictis poenis oporteat subveniri. Universim enim loquendo, arbitrio Superioris committitur decernere, an quis sit verè pauper, juxta doctrinam, quam tradunt Bartol. in l. *Si constante, l. 4. ff. solut. matrim.* alique congesti à Menoch. *lib. 2. cent. 1. cas. 63. n. 6.*

II. Quoniam autem res hæc non levis est momenti, & facillè possent Episcopi à nonnullis, quę circumferuntur, sacre Congregationis decretis decipi, necessarium ducimus ejusdem sacre Congregationis Concilii mentem diligentius indagare, & exponere. Sciendum itaque, sacram Congregationem ante annum 1614. sæpius dixisse, liberum esse Episcopo verè pauperi & indigenti, poenas pecuniarias tertii generis in suę inopia levamen erogare, quemadmodum nuper à Fagnano audivimus; at ab anno 1614. ab ejusmodi declarationibus eadē eadem abstinent, & mos invaluit, ut Episcopus, quę præfata pecunia suam sublevare cupit inopiam, facultatem, eam sibi addicendi, petat ab eadem sacram Congregatione, quę illam modò concedit, modò negat, sicuti diversæ exposcunt rerum circumstantiæ; quod in quadam causa *Novariensi*, proposita die 11. Maii 1638. ad rem adnotavit sacre Congregationis Secretarius, hisce verbis: *Sacra Congregatio pro diversitate circumstantiarum, & Episcoporum, prout ipsis, & eorum integritati, & bonitati magis, aut minus fidei, similia Indulla applicandi poenas pecuniarias concessit.* Facultatem verò, quam interdum impertiendam existimat, nunquam vult esse perpetuam, sed ad certum limitat tempus, quia interim cessare potest causa, quę eam hic & nunc concedendam suadet. Ita reapse in eadem causa *Novariensi* permisit quidem Episcopo, ut posset multis pecuniariis tui, ad prosequendas lites, quas intenterat pro indemnitate locorum priorum suę Diocesis, cujus sumptibus subeundis pares non erant suę Mensæ redditus, sed hæc permissionem duraturam voluit tantum ad sex annos. Episcopo pariter Anglonensi potestatem fecit, easdem mulctas in proprium com-

mo-

modum suęque paupertatis subsidium insumendi, sed dumtaxat ad triennium; uti constat ex ejusdem sacre Congregationis decreto edito 15. Januarii 1638. & adnotato *lib. 19. decret. pag. 554.* quod proderit integrum audire, quoniam in eo & omnia confirmantur, quę hætenus diximus, & summa elucet circumspectio ac cautela, quę sacra Congregatio in impertiendis ejusmodi facultatibus se gerit: «Sanctissimi Dominus noster (verba sunt decreti) audita sententia sacre Congregationis Concilii, veris existentibus narratis, in quibus gravatur conscientia ipsius Oratoris, benignè annuit, ut per triennium percipere possit poenas & mulctas pecuniarias, quę nisi sacris Canonibus, seu statutis Synodalibus, pro delictis ad certam summam fuerint præfixitæ, non autem poenas, & mulctas, quę vel ab seipso arbitrio pendunt, vel per sententias, nulla præcedente Canonum, vel Statutorum Synodalium determinatione imponuntur, nec poenas Clericorum non residentium, vel concubinariorum quę piis locis omnimò applicentur.» Quare quidquid olim fuerit, dubitandum non est, hodie Apostolicę Sedis licentiam requirit, ut Episcopus, quantumvis pauper, emendas seu mulctas pecuniarias sibi eddicere, & in proprios usus expendere possit.

III. Notandum tamen est interdum contingere, poenam pecuniariam esse quidem inflictam à Synodali statuto, simulque præfixitam in certa pecunie quantitate, & propterea hoc nomine pertinere ad tertium genus poenarum, quas diximus ab Apostolica Sede Episcopo egenti quandoquē concedi; sed simul evenire, eam esse ab eodem statuto applicatam certo loco pio, seu ad aliquod determinatum pium opus destinatum, cujus rei exemplum no-

bis suppeditat Diocesana Synodus Oriolana, habita ann. 1600. c. 71. relata à Cardinali de Aguirre *tom. 4. Concilior. Hispan. pag. 741.* ubi sic decernitur: *In his Constitutionibus, & statutis nostris, atque hujus secundæ Diocesanae Synodi Oriolanae, in quibus poenæ & mulctæ pecuniariæ in violatores sancta sunt, nec quæ ratione distribuende illæ sint declaraturæ, earum dimidiam partem sanctæ Cruciatæ applicamus, alteram verò dimidiam partem in opera pia, nostro arbitrio, distribuimus volumus.* Jam verò cum res ita se habeat, scient Episcopi, poenas ejusmodi, quoad eam partem, quę est certo loco, seu pio operi applicata, nunquam sibi, quantumcumque laborem inopia, fore, ab Apostolica Sede concedendas, nisi probaverint, locum, seu opus pium eam pecunia non indigere; neque enim Sedes Apostolica, ut uni gratificetur, vult juri quæsito alterius præjudicium inferre.

IV. Quæ autem hucusquē dicta sunt de Episcopis, facillè indicant, quid sentiendum sit de Capitalibus Ecclesiarum Cathedralium, in quibus aliquando in mentem venit, sibi licere, vacante Sede, mulctas pecuniarias & delinquentium compositiones, in suos, & Canoniorum usus convertere. Contendebant id anno 1642. Canonici Mazzarienses, de quibus in Congregatione Concilii die 6. Decembris ejusdem anni quæsitum fuit: *An Canonici Ecclesie Cathedralis possint, Sede vacante, propria auctoritate in usus proprios convertere poenas, mulctas, & compositiones delinquentium?* Respondum autem fuit: *Canonicos non posse; ut videatur ext. lib. 17. decretor. pag. 119. à terg. c. 120.* paucis verò post annis, nimirum die 28. Martii 1648. instante Vicario Capitali Elnensi, in eadem Congregatione sequens hæc ab simile du-



& receptatores, in quibusdam casibus mulctandos poena pecuniaria, singulique voluit; hinc integrè fidei homini, arbitrio Ordinarii eligendo, cuotodiendam tradi, ut cum deinde opus fuerit, impendatur in prosequenda causa Fidei adversus hereticos. Alexandri vestigiis adhaerent Patres Concilii Toletani, anni 1565. act. 2. c. 14. t. m. 10. Collectionis Hardouin col. 1151. ubi ita edixere: *Poenâ pecuniariâ, si quando à Judicibus ordinariis, juxta rationem delicti, delinquentis qualitatem, eas imponi contigerit, in pios tantum usus, & pro executione justitiæ, non pro privata Episcoporum utilitate, expendantur, arbitrio Episcopi, vel ejus Vicarii. Deputeturque ab eodem Episcopo, qui easdem poenas recipere debeat, earumque rationem reddere teneatur.* Hæc autem praxis, veluti aptissima ad obviandum dolis, fraudibus, & calumniis, placuit Ven. Innocentio XI. Pontifici Maximo, cujus propterea jussu sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, suis encyclicis litteris ad omnes Episcopos die 31. Februarii 1678. datis, quæ habentur apud Clericatum de Benefic. discord. 100. n. 4. iisdem injunxit, ut quilibet emendas, multas, seu poenas pecuniarias, statim custodiendas tradant probò & fideli Depositario, ut hæc ratione semper innotescat, quantum à delinquentibus exactum sit, & in quem usum erogatum.

VI. Quæ hæcenus diximus, ut quilibet videt, eò omnia collineant, ut scilicet à foro Ecclesiastico omnis areceatur avaritiæ species; quem cumdem scopum semper respexit sacra Congregatio Concilii, quotiescumque de pecunia, quocumque nomine Episcopo pensitanda, in ea actum est. Concilium Tridentinum, sess. 21. c. 3. de reform. præcepit, ut Episcopus singulis annis

quæ Diœcesis visitationem instituat, quam si, propter ejusdem Diœceseos latitudinem, intra annum explere nequeat, biennio saltem absolvat. Visitanti autem Episcopo permisit, pro se, suoque honesto comitatu, ab iis, quibus de jure id onus incumbit, procuraciones exigere, seu moderata & frugalia victualia recipere; relinquendo tamen arbitrio eorum, qui visitantur, aut eadem victualia subministrare, aut pecuniam, quam antea conserverant, exolvere. Hoc porò decreto non prohibetur Episcopus, ne intra ejusdem anni curriculum, si ita necessarium duxerit, iterum Diœcesim visitando perlustret, quemadmodum rectè notant Fagnanus in c. Cum venerabilis, num. 3. de censibus, Pirhing. in 3. l. Decretal. tit. 29. sect. 2. n. 94. Cardin. de Luca. in Miscell. Eccl. disc. 1. n. 118. & in Adnotat. ad Concil. Trident. disc. 5. n. 6. Sed ne quisquam Pastorem visitationem iterantem insimulet, quasi crebrius ad suas oves accurrat, ut eas sæpius tondeat, non autem ut earumdem morbis novum afferat medicamen; propterea cum sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium anno 1586. tum sacra Congregatio Concilii die 19. Septembris 1682. censuerunt: Episcopo, bis eodem anno Diœcesim visitanti, unicam tantum deberi procuracionem; examinato quippè sequenti articulo: *An Episcopus, qui, si commode fieri possit, Diœcesim suam quotannis visitare tenetur, possit hujusmodi visitationem facere per mensem, vel circiter, ante quam labatur integer annus à die peractæ ultimæ visitationis,*

»vel potius debeat expectare, quod annis circulis integrè compleatur, antequam deusdè visitet, ita ut intra singuli censuisset anni cursum una tantum visitatio fiat: » sacra Congregatio Concilii, prædicta die, & anno, respondit: *Affirmativè, sed non posse respicere procuracionem, neque victualia, nisi semel in anno.* Cui quidem responsioni concinit alia, ab eadem sacra Congregatione data die prima Junii 1737. in causa *Policastren. Procuracionis*, in qua proposita quaestione: *An Episcopus, non completo anno ab ultima visitatione, possit iterum eandem Ecclesiam visitare, & aliam procuracionem à visitandis exigere;* responsum fuit: *Affirmativè quoad primam partem, & negativè quoad secundam; Thesaur. Résol. t. 8. p. 87.* Huc etiam pertinet, quod ab eadem sacra Congregatione decisum fuit, quoad procuracionem solvendam Vicario Diœcesim. Diximus superius lib. 2. c. 9. n. 5. posse à Vicario Capitali Diœcesim visitari post annum à die ultimæ visitationis, ab Episcopo peractæ; sed quoniam non decet, ut ipse cum tanto incedat comitatu, quanto indiget Episcopus, qui majori præfulget dignitate; idcirco sacra Congregatio die 18. Julii 1708. in causa *Ostunens. Procuracionis*, impressa tom. 9. Thesaur. pag. 180. rescripsit, Vicario Capitali deberi tantum mediocritem procuracionum, quæ Episcopo solvi conserverant; tali enim pacto servabitur indemnis ab expensis, quæ visitationis causa occurrunt, sed nihil lucri ex ea percipiet.

FINIS.



